Fragmentarium

Exhib 15.3
MS Lat 34*

SAPIENTISSIMI E-
gyptii scientes
mensuram terre
undasque maris
et celestium ordi-
nem cognoscentes
id est stellarum
cursum motumque
firmamenti tradiderunt eam universo orbi
per altitudinem doctrine et per notitiam artium
magicarum. Siquidem de Nectanabo
rege ipsorum qui fuit homo ingeniosus et
in astrologia et mathematica eruditus.
Quadam autem die dum nuntiatum ei fuisset
quod Artaxerxes rex Persarum cum valida manu ho-
stium super eum veniret non movit militiam
neque commisit exercitus armatorum sed intravit
solus in cubiculum palatii sui. Et appre-
hendens concham eream misit in ea aquam
pluvialem et tenens in manu virgam eneam
et per magicas incantationes demones in-
vocabat et intelligebat in ipsa concha clas-
ses navium que super eum potentissime ve-
niebant. Stabat enim ad custodiam principis
militie positi Nectanabonis regis ipsorum
in finibus Persarum. Venit quidam ex eis di-
cens: Maxime Nectanabo, insurgunt
in te Artaxerxes rex Persarum cum multitudine
hostium et gentibus infinitis. Sunt enim
Parthi, Medi, Perse, Syri, Mesopotamie,
Arabes, Poares, Argei, Caldei, Bactri,
Sythes, Ortani atque Agriophagi et alie
plures gentes de orientis partibus procedentes.
Cum hec audisset Nectanabo subridens dixit:
custodiam quam tibi creditam tenes bene servas, sed tamen
non sicut princeps militie responsum dedisti
sed sicut homo timidus. Virtus enim non
est in multitudine populi sed in fortitudine animorum.
Nam nescis quia unus leo multos cervos
in fugam convertit. Et hec dicens iterum intravit
in cubiculum palatii solus et fecit navicellas
cereas in concha pluviali aqua plena
tenensque in manu virgam palme et respi-
ciens in ipsam incepit totis viribus incan-
tare et videbat quasi Egyptii submergebantur
impetu classium barbarorum. Et statim muta-
to habitu et radens sibi caput et barbam

tulit aurum quantum potuit quecumque erant
sibi necessaria ad astrologicas et artes ma-
thematicas exercendas fugit propter Persas
de Egypto et in [illegible] veniens Ethiopiam induit
lineis vestimentis ut ostenderet se quasi pro-
phetam Egyptium. Venit itaque in Macedoniam
sedensque incognitus coram omnibus venientibus
divinabat. Egyptii vero ut invenerunt quia
Nectanabo non inveniebatur, ad Seraphyn
deum illorum [illegible] pervenerunt suppliciter
ut eisdem de Nectanabone rege eorum respon-
sa donaret. Seraphyn autem respondit: Necta-
nabo rex vester habiit de Egypto propter Artaxerxem
regem Persarum quos omnes suo imperio subiugabit.
Post modicum vero tempus revertetur ad vos e-
ciendo a se senectutem et ulciscet vos de
inimicis vestris subiugando illum et vos. Hec
responsa recipientes Egyptii statim fecerunt
regalem statuam ex lapide nigro in honore
Nectanabonis et scripserunt ad pedes statue
eiusdem illa responsa ut in posterum memorie
mandarent. Nectanabo autem in Macedonia
manebat incognitus.

INterea Phylippus rex Macedonie ha-
buit in prelium. Nectanabo autem ascen-
dens palatium ubi reginam Olimpiadem
aspiceret et videns pulcritudinem Olimpiadis
iaculatum est cor eius et concupiscentia eius
exarsit, tendensque manum eius salutavit
dicens: Ave regina Macedonie. Dedignans
illi dicere dominam. [illegible] Respondit Olimpia-
des dicens: Ave magister. Accede propinquius
et sede. Sedente ipso interrogavit eum Olimpias:
Verum ne est quod Egyptius sis? Respondit illi
Nectanabo: Regina, verbum pulcerrimum atque
regale dixisti quando me Egyptium nominasti. Sunt
enim Egyptii sapientes qui etiam sompnia solvunt,
signa interpretantur et monstrant, volatilia in-
telligunt, secreta aperiunt et cognoscunt, fata
nascentium dicunt. Nam et ego sensi [illegible]
simo de hiis omnibus ut possim congnoscere.
Hec autem cum dixisset aspexit eam [illegible]
[illegible]. Videns Olimpias quod sic aspexisset eam, di-
xit illi: Magister, quid cogitasti in me [illegible]
[illegible] Respondit Nectanabo: [illegible]
[illegible] pulcerrima [illegible]
enim responsum accepi [illegible]
reginam. Hec autem [illegible]
de sinu suo [illegible]
[illegible] ex argento [illegible]
circulos [illegible]

HARVARD COLLEGE
DEC 14 1914
LIBRARY
Minot fund
MS Lat 34*
LAT 34

License: public_domain – Cambridge, MA, Harvard University, Houghton Library, MS Lat 34, (seq. 1) – Historia de preliis Alexandri Magni (https://fragmentarium.ms/view/page/F-blzi/1260/16906)